



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 4. Vtrum materia huius Sacramenti sit oleu[m] ab Episcopo  
consecratum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

sentaneum fuit, vt etiam institueret aliquod pro exitu, quia tunc maximè opus est. & homo minimè aptus est vt se ipsum iuuet. Dices: Sufficere confessionem & Eucharistiam. Respondeo: Vniuersè non sufficere: tum quia sunt plurimi, qui tunc nec confiteri, nec Eucharistiam sumere possunt; tamè hoc Sacramento possunt ab æternâ morte liberari: tum quia tunc singulari est opus auxilio, ergo & singulari Sacramento: tum deniq; quia post confessionem & Eucharistiam manent reliquiæ peccatorum impediens ingressum cæli: ergo oportebat esse Sacramentum aliquod, quo illæ propriè abstergerentur, & mens ad cœlestia disponeretur.

DVBIVM II.

*Vtrum extrema Vnctio sit vnum Sacramentum?*

**R**espondeo: Esse vnum Sacramentum, etsi constet varijs vnctionibus, & formulis verborum partialibus. Vide D. Thomam. Sed dubiū est: Vtrum plures istæ vnctiones ita pertineant ad rationem Sacramenti, vt, nisi omnes adhibeantur, saltem quæ in locis sensuum adhiberi solent, nihil sit actum, id est, non sit Sacramentum?

Dominicus Soto multiq; alij putant, illas vnctiones omnino esse necessarias ad rationem Sacramenti, adeo, vt ante vltimam nihil efficiatur. Ratio est: quia hoc Sacramentum applicatur homini in modum perfectæ medicinæ ad curanda vulnera interiora: ergo de eius ratione est, vt applicetur ad omnes sensus externos, tanquam ad omnes radices vulnerum animæ interiorum. Patet consequentia: quia aliqui non habebit rationem perfectæ medicinæ; non enim significabit perfectam curationem.

7  
Dominic.  
Soto.

In singulis  
vnctioni-  
bus est ra-  
tio Sacra-  
menti.

Verum altera sententia etiam est probabilis, nempe in singulis vnctionibus esse rationem Sacramenti, quamuis omnes ad integritatem vnius perfectæ vnctionis concurrant, eo serè modo, quo supra q. 73. a. 2. dictum est de Eucharistia. Tenet Scotus d. 23. in fine. Paludanus ead. distinct. q. 1. art. 3. conclus. 2. & q. 2. sub finem. Ioan. Medina Cod. De confessione, q. 11. citâs pro hac sententia Adriant. Insinuat D. Thomas hic in Corpore sub finem, ad 1. & 3.

Probatur Primò: Quia vnctiones istæ nõ sunt coniunctim per modum vnius, sed seorsim; & quæque habet suam integram formam, non dependentem à præcedentibus vel consequentibus: ergo &c.

Secundò: Sacramenta statim efficiunt, quod significant: sed vnctio, v. g. oculorum cum suâ formâ significat condonari peccata commissa per oculos: ergo hæc vnctio statim hoc efficit, nec expectatur reliquorum sensuum vnctio: sicuti vt consecratur species panis, non expectatur consecratio vini; aut vt species panis gratiam consecrat, non expectatur sumptio speciei vini.

Si vnus sa-  
cerdos de-  
ficiat, debet  
alius sup-  
plere re-  
liquas vn-  
ctiones.

Tertiò: Vnum Sacramentum non potest confici à duobus ministris, nisi constet partibus quæ per se sunt Sacramentum, vt patet in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentiâ, & similibus, quæ non possunt à duobus ministris successiue fieri, eò quod pars Sacramenti non sit Sacramentum: vni enim simplex Sacramentum non potest fieri, nisi ab vno ministro. Atqui hoc Sacramentum potest

successiue conferri à duobus ministris: si enim Sacerdos post vnctionem duorum sensuum deficiat, alius debet ei succedere, qui non potest illas duas vnctiones repetere, sed debet progredi ad alias; quod est signum illas duas habuisse suum effectum, & in illis constituisse rationem Sacramenti, vt patet in Eucharistia: si enim post consecrationem panis deficiat Sacerdos, qui substituetur, perget consecrare calicem, non verò nouum panem consecrabit.

DVBIVM III.

*Vtrum hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum?*

**R**espondetur: Istud Sacramentum, sicut & cætera, immediatè esse à Christo institutum, non ab Apostolis. Patet ex Concilio Trident. sess. 7. can. 1. vbi hoc definitur de omnibus Sacramentis, quamuis illud verbum, *immediatè*, non exprimitur. Et sess. 14. can. 1. definitur id ipsum speciatim de hoc Sacramento. Idem clarè colligitur ex verbis D. Iacobi: non enim tam absolute promitteret virtute illius *saluationem & remissionem peccatorum*, nisi sciuisset illud à Domino esse institutum, cuius soli virtute id fieri potest. Vide quæ supra dicta sunt q. 64. art. 2.

8  
Affirmatur

Notandum est: Magistrum hoc loco videri sentire contrarium ex Hugone Victorino, qui lib. 2. de Sacramentis part. 15. cap. 2. dicit, *Sacramentum Vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur: ait enim Iacobus, Infirmatur quis ex vobis? &c.* Et D. Bonauent. hac distinct. 21. art. 1. q. 2. *Spiritus sanctus*, inquit, *per Apostolos hoc Sacramentum instituit.* Sed fortè explicari possunt, quòd loquantur de institutione promulgatoriâ; sic enim D. Thomas explicat Magistrum: quomodo Moyse interdum *Autor* dicitur *Veteris legis*.

Explicatur  
Magister.

DVBIVM IV.

*Vtrum materia huius Sacramenti sit oleum ab Episcopo consecratum?*

**R**espondetur Affirmatiue. Est fide tenendū. Patet ex Concilio Florentino, vbi dicitur, *Huius Sacramenti materiam esse oleum oliuæ ab Episcopo benedictum.* & Tridentino sess. 14. c. 1. *De extrema Vnctione: Intellexit, inquit, Ecclesia materiâ esse oleum ab Episcopo benedictum.* Idem expressè habetur in Concil. Cabilonenſi 2. can. 48. *Secundum B. Iacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris vngi debent.* Idem expressè habet Innocentius I. supra; & Beda in cap. 5. Iacobi, dicens, *Per illa verba, Vngentes oleo in nomine Domini, significari oleum benedictum, nec posse, nisi ab Episcopis confici.*

9  
Responſio  
affirmans  
est de fide.

Et quidè quòd debeat esse *Oleum*, patet ex ipsa Scriptura, *Vngentes*, inquit, *Oleo.* Quia verò nullus liquor propriè est *Oleum*, nisi qui ex oliuis exprimitur, idèò necesse est, vt sit *oleum oliuæ*, vt expressè habet Concilium Florentinum. Vnde per *oleum amygdalinum, nucum, raparum*, &c. nihil efficietur. Ratio primaria est, institutio diuina: Congruentia est, quia *oleum* optimè significat effectum huius Sacramenti. Primum enim lenit; vnde significat optimè alleuiationem infirmi. Deinde curat vulnera, & intima penetrat: vnde signi-

Debet esse  
Oleum oli-  
uæ.

ficat

ficat remissionem peccatorum, & vulnerum animae curationem. Denique significat misericordiam, qua tunc maxime opus est homini, & gratiam Spiritus sancti, qua anima egrotantis inuisibiliter inungitur, vt inquit Concilium Tridentinum.

Et quidem benedictum ab Episcopo.

Ratio verò, cur hoc oleum debeat esse benedictum, est similiter diuina institutio. Congruentia est, quod materia externa, quae ad Sacramenta adhibetur, huiusmodi sacra benedictione debeat veluti disponi, aptari, & cleuari ad formam Sacramentalis; & vt sit idoneum instrumentum, per quod gratia conferatur. Materiam quidem Baptismi & Eucharistiae ipso Christi vsu & contactu sanctificatae & aptatae ad formam sacramentalem fuerunt, vnde non indigent alia benedictione, vt sint idoneae materiae. Sed Sacramenti Vnctionis & Confirmationis materia Christus nunquam est vsus; vnde oportebat vt aliqua benedictione consecrarentur. Debet autem haec benedictio fieri ab Episcopo: tum quia in ipso est plenitudo potestatis circa Sacramentorum administrationem: tum quia ab ipso ad sacerdotes omnes potestas descendere debet; vnde etiam merito ab ipso debent accipere materiam.

Dices: Dispositio materiae pertinet ad artem inferiorem: ergo haec benedictio pertinebit ad potestatem, quae sit inferior Sacerdotio, non autem ad superiorem.

Respondeo: Dispositio materiae pertinet ad artem inferiorem, quando is, qui illam materiam vtitur, praescribit ei, qui materiam disponit: atqui Sacerdos non praescribit Episcopo, sed contra Episcopus praescribit Sacerdoti, quomodo illam materiam vti debeat. Adde, hoc non debere habere locum in rebus sacris, quarum omnis dispositio & perfectio descendit à supremâ potestate ad inferiores.

D V B I V M V.

Virum haec benedictio sit necessaria ad essentiam huius Sacramenti.

IO Caietanus, Victoria.

Haec benedictio est necessaria.

Fieri debet ab Episcopo.

Caietanus supra q. 73. art. 3. dubitat. Franciscus Victoria, q. 217. negat.

Respondeo & Dico Primò: Omnino esse necessarium, vt oleum sit benedictum. Colligitur ex locis supra citatis, ex perpetuo Ecclesiae vsu, & ex communi Doctorum sententia. Fortasse tamen non est necessarium, vt benedictione propria hoc oleum sit benedictum. Videtur enim sufficere benedictio Chrismatis, vt docet Sotus q. 1. a. 3. d. 21. & plures alij.

Dico Secundò: Similiter necessarium est, vt ab Episcopo sit benedictum, adeò, vt, si à Sacerdote simpliciter sit benedictum ( nisi forte id fiat ex commissione Papae) nihil efficiatur. Probatur: quia Concilia supra citata id expressè requirunt, praesertim Florentinum & Tridentinum, quae propter haereticos haec omnia distinctè explicuerunt. Baptismi enim materiam aiunt esse aquam simplicem, nec requirunt ullam benedictionem, nempe, quia non est de essentia, quamuis in caeremoniam adhibeatur. Huius verò Sacramenti materiam expressè affirmant esse oleum ab Episcopo benedictum.

Vel ex commissione Papae, à Sacerdote.

Dico Tertiò: Ex commissione Pontificis non est improbabile simplicem Sacerdotem posse hoc oleum benedicere, sicut de Chrismatis benedictione dictum est supra, q. 72. a. 3.

Animaduertendum est: In necessitate posse addi oleo benedictio aliquid olei non benedicti, vt habetur in Capit. Quod in dubijs. de Consecratione Ecclesiae & altaris. Quod intellige, modò id quod additur, minus sit quantitate: vel si non sit minus, saltem fiat additio sensum. Si enim id, quod additur, superet, vel etiam aequale sit, & confertim addatur; id quod auctum est, non censetur esse idem quod antè fuit. Si autem sensum fiat additio, semper censetur esse idem, quod immediatè ante erat; vnde cum antea esset benedictum, etià post additionem censetur esse benedictum. Vide Siluestri verbo, Aqua benedicta; & Fumum ibid. Est enim eadem ratio additionis ad aquam benedictam.

11 Huius oleo benedictio addi potest oleum non benedictum.

D V B I V M VI.

Virum haec forma sit conueniens: Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c.

Respondeo: Esse conuenientem. Patet ex Concilio Florent. & Tridentino, & vsu Romanae Ecclesiae. Consentunt quoque Doctores Scholastici.

12 Affirmatur.

Ratio est: Quia his verbis explicantur omnia, quae in formam Sacramenti debent significari. Explicatur enim causa principalis, quae est Deus, & Dei misericordia; & instrumentalis, quae est sacra vnctio; & effectus, qui est peccatorum remissio, alleviatio infirmi, & sanitas corporis quae ex remissione peccatorum saepe pendet; quae tria satis insinuantur per verbum, Indulgeat.

Notandum autem Primò: Nò esse de essentia formae haec verba; Per suam piissimam misericordiam; satis enim hoc intelligitur in nomine Dei, & Indulgeat. Vnde ad essentiam Sacramenti sufficit dicere, Per hanc vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per &c.

13 Omnia verba non sunt de essentia huius formae.

Verba tamen ista, Per hanc Vnctionem, multorum sententia sunt repetenda ad singulas vnctiones: alioqui non satis videtur materia exprimi; quòd est in praxi securius, quamuis contrarium non videatur improbabile, vt infra c. 4. dub. 2. dicemus.

Notandum Secundò: Non esse etiam de essentia illa verba; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Est sententia communis. Nam in solo Baptismo & Confirmatione est necessaria Trinitatis inuocatio.

Neque vnctio in forma crucis.

Notandum Tertiò: Non necessariò debere fieri vnctionem in formam crucis, sed sufficere simplicem vnctionem. Est tamen seruanda coeuetudo.

D V B I V M VII.

Virum sit necessarium, vt haec forma sit deprecatoria, praesertim cum nulla aliorum Sacramentorum talis sit?

Respondeo: Id esse necessarium. Est communis Doctorum, d. 23. Colligunt ex verbis Apostoli. Sed haec probatio non videtur efficax, quia Patres passim omnium Sacramentorum formas vocant Preces Mysticas, inuocationes Spiritus sancti, inuocationes consecratorias; vt patet ex Dionysio Areopag. cap. 7. parte 3. Hierarchiae Ecclesiasticae, &c.

14 Affertur.